

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

Caput XLII. Quod beata virgo Maria non protest dulcius salutari quam per
Ave Maria.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

CAPUT XLII.

QUOD BEATA VIRGO MARIA NON POTEST DULCIUS SALUTARI
QUAM PER *Ave Maria*.

Dignitas
quam
BB. Trinitas
Angelicæ
confert
salutationi.

SABBATO quodam, cum *Salve sancta Parens* cantaretur, dixit beatæ Virgini Mariæ: « Si te, o cœli Regina, dulcissima salutatione quam unquam humanum cor excogitavit, salutare possem, libentissime facerem. » Statim gloriosa Virgo eidem apparuit, habens in pectore scriptam aureis litteris Angelicam salutationem, et ait: « Supra hanc salutationem nunquam homo pervenit, nec aliquis me dulcius salutare poterit, quam is qui salutatur in reverentia, qua Deus Pater me per hoc verbum *Ave* salutavit, confirmans me omnipotentia sua, ut essem immunis ab omni væ culpæ (a). Filius quoque Dei divina sua sapientia sic me perlustravit, ut sim præclarum sidus, quo cœlum et terra illustratur, quod per hoc nomen *Maria*, quod sonat maris stella, notatur. Spiritus etiam Sanctus tota sua divina dulcedine me penetrando, sua gratia tam gratiosam me effecit, ut omnis qui per me gratiam quærit, ipsam inveniat, quod innuitur per hoc verbum, *gratia plena*. In hoc quoque verbo: *Dominus tecum*, admonet ineffabilis unionis et operationis quam tota Trinitas perfecit in me, cum meæ carnis substantiam divinæ naturæ in una persona copulavit, ita ut Deus fieret homo, et homo Deus; quid illa hora gaudii et dulcedinis senserim nullus hominum ad plenum potuit experiri. Per *Benedicta tu in*

(a) ab omni væ culpæ et pœnæ. *Cod. Lips.* Cf. supra cap. 28.

mulieribus, omnis creatura mirando agnoscit et contestatur me benedictam, et exaltatam super omnem creaturam, tam coelestem quam terrestrem. Per *Benedictus fructus ventris tui*, benedicitur et extollitur excellentissimus et perutilis fructus ventris mei, qui omnem creaturam vivificavit, sanctificavit, et in æternum benedixit.

CAPUT XLIII.

DE QUINQUE *Ave Maria* ANTE COMMUNIONEM LEGENDIS.

DIE quodam post Matutinos, in oratione dubitare cœpit si in sero Dominæ nostræ Completorium dixerit an non. Unde contristata Deo negligentiam suam confitebatur, et illico Completorium persolvit. Post hoc legit quinque *Ave Maria* quæ dicere solebat antequam sumeret corpus Christi, quod ad doctrinam aliorum conscribimus.

Primo, Dominam nostram admonebat illius susceptionis qua in virginali puritate filium concepit, Angelo nuntiante, et abyssali humilitate sibi eum a regalibus sedibus intravit; et orabat obtineri sibi mundam conscientiam et veram humilitatem. Secundo, illius susceptionis mellifluæ, qua ipsum suscepit, cum primo eum in humanitate aspexit, et verum Deum agnovit; orans obtineri sibi veram cognitionem. Tertio, quod omni hora parata fuit gratiam suscipere, nec unquam eam in se impedivit; orans obtineri sibi cor semper divinæ gratiæ paratum. Quarto, quanta devotione et gratitudine dilecti Filii sui corpus in terris sumebat, quia præ omnibus plenius agnovit quanta salus hominum ex hoc proveniret; petens ut dignam gratitudinem sibi obtineret. Quinto, illius amantissimæ susceptionis, qua eam Filius ad se

Qualiter
ad Filium
se habuerit
Virgo Mater
admonetur.